



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nobili Viro Dvci Avstriae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

niam proculdubio tibi magis credimus expedire ut rei finem præveniens, non expectans, nunc, antequam invalescat in toto, quasi ex discretionis proposito satagas id efficere quàm demum, cum invaluisset omnino, in necessitatis articulo forsan idem cogeres implere. Credimus enim quòd erga te taliter se habebit quòd meritò sibi poteris esse devotus, & nos, à quorum sanis consiliis deviaturus ipse non creditur, ad tui dilectionem eum efficaciter inducemus. Datum Laterani Non. Decembris &c. *ut supra.*

CAMERACENSI EPISCOPO.

Epist. 172.
Vide Godefrid.
monach. sancti
Pantaleon. ad
an. 1208. 1209.

Litteras tuas plenas exultationis & gaudij paterna benignitate recepimus, per quas de promotione quinimmo quasi de confirmatione promotionis carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi, non solum desiderata nobis verum etiam insperata gaudia nuntiasti; illud in majori exultatione ducentes quòd, sicut per easdem litteras intelleximus, idem Rex in virum quasi alterum immutatus, in justificationibus Domini magis solito delectatur. Sperantes igitur quòd gratiæ nostræ non ingratus existas, quam circa te sinceram existere multis experimentis cognoscere potuisti, & quòd præfatus Rex inter præcipuos honoris sui fautores habere te deceat principalem, fraternitatem tuam monemus attentius & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus circa latus ejus studio sedulæ recordationis & exhortationis insistas ut in legem Domini suam dirigens voluntatem, ac in ea nocte dieque meditans, cultui divino se sedulum, apostolicæ fedi devotum, & respicientium se quieti gerere procuret intentum; ita quòd sollicitudo tua clareat in effectu, & nos eam dignis in Domino valeamus laudibus commendare. Datum Laterani Non. Decembris &c. *ut supra.*

MAGDEBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 173.

Litteras tuas plenas exultationis & gaudij paterna benignitate recepimus, per quas de promotione quinimmo quasi consummatione promotionis carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi non solum desiderata nobis verum etiam insperata gaudia nuntiasti. Sperantes igitur quòd gratiæ nostræ non ingratus existas *ut in alia usque* laudibus commendare, gratum & acceptum gerentes quòd pro sedis apostolicæ reverentia eidem Regi ceteris factus prævius adhæristi. Datum Laterani &c. *ut in alia.*

In eundem modum magistro Gerlando usque cognoscere potuisti, devotionem tuam monemus attentius & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus &c. ut in alia usque commendare. Datum &c. ut supra in alia.

MAGISTRO HENRICO SCOLASTICO
sancti Gereonis.

Epist. 174.

Recepimus litteras plenas exultationis & gaudij, per quas de promotione quinimmo &c. *sicut in prima usque* non solum desiderata nobis verum etiam insperata sunt gaudia

nuntiata. Sperantes igitur quòd &c. *sicut in prima usque* laudibus commendare. Datum Laterani &c. *ut supra in aliis.*

NOBILI VIRO DVCI AVSTRIÆ.

Nuntium & litteras tuas paterna benignitate recepimus; & cum inter alios Principes personam tuam sincera diligamus in Domino caritate, petitionem tuam, in quantum honestas potuit gratiæ præstare favorem, curavimus exaudire. Tu ergo litteris quas super episcopatus * negotio destinamus utaris, si videris expedire. Alioquin cum pro causis imperij Legatos ad partes illas mittere disponamus, dummodo status ejus taliter, sicut credimus, dirigatur quòd eos oporteat destinari, si à te fuerit postulatum, executionem eis prælibati negotij commitemus, quemadmodum aliis qui dudum ob statum rerum in morte Principis immutatum de arrepto legationis itinere recesserunt meminimus commisisse. Ceterum super eo quòd nobis de negotio imperij tam per litteras quàm nuntium intimasti, hoc tibi duximus respondendum, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta tuæ prudentiæ consulentes quatenus cum carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus magnificè procedere jam inceperit, potenter ei faveas & patenter; quia proculdubio tibi magis credimus expedire ut rei finem præveniens &c. *ut supra epist. cclxxi. usque* inducemus. Præterea memoratum nuntium latorem præsentium dilectum filium G. clericum tuum nobilitati tuæ propensius commendamus; qui, quantum in ipso fuit, nihil omisit de contingentibus super iis quæ apud nos ei commiseras promovenda, quinimmo ad promotionem eorum fideliter institit & prudenter. Datum Laterani, *ut supra* anno undecimo.

ILLVSTI REGI BOEMIÆ.

Super eo quòd à nobis de negotio imperij per tuum nuntium & litteras requisisti, serenitati tuæ hoc duximus respondendum, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta consilium tibi dantes quatenus cum carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus magnificè jam procedat, potenter ei faveas & patenter; quia proculdubio &c. *ut in alia usque* cogere implere; præsertim cum adhuc ex juramento sibi præstito tenearis. Credimus enim quòd erga te &c. *usque* inducemus. Datum Laterani 11. Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN
Romanorum Imperatorem electo.

Invicundus tuorum nuntiorum adventus ita nos est in ea qua tenebamur ægritudinis molestia consolatus ut ex gratis rumoribus quos de tuis successibus tulerunt quadam medicinali virtute nos fecerit de languoris doloribus in sanitatis gaudia respirare. Licet autem super negotiis pro quibus latores præsentium, viros utique providos & fideles, ad nostram præsentiam destinasti consueverint secundum morem